

3181

LITURGICI

3182

quentia accedendi ad S. Coenam, cujus initium: *Uil priester vnd ander menschen layen gelert vnd vngelert frawn vnd man cblagent grosleich vnd bechummernt sich swerleich &c.* Traductus e Latino *Matthaei de Cracovia* melius *Crocovia*, quem dedimus *Codd. variis.*

DCCCCXLVI.

79¹ Codex membraneus germ. Sec. XV. Folior. 136. 8. probe scriptus, et deauratis picturatisque initiorum literis nitidus, *Precatorius* est. Praeit *Calendarium* ad pietis inferne Possessoris Insignibus Leones binos albos in Area rubra gradientes exhibentibus, in quo observo adpellari Octobrem *Regenmonet*, et Decembrem *Hartmonet*, Festum item Visitationis B. V. M. *Verporgen vnser frawen tag*, quem usum apud Cll. *Pilgramum* et *Helwigium* non reperio, indeque derivatum puto, quod *Maria*, dum apud *Elisabeth* in Montanis abesset, quasi latens et abscondita haberetur. Inter *Preces* chorum ducunt *Horae* breves de *Passione Domini*, et *Compassione Mariae*, quas in Rubrica praevia *Johannes Ep. Olomucensis*; in subsequa vero petente *Elisabetha Anna Marchione Moraviae* composuisse dicitur. *Elisabetham* hanc *Sigismundi Imp.* Filiam esse censeo, cujus *Marito Alberto Austr.* jam a. 1423. *Moraviam* Socer concesserat habendam, Autorem vero *Horarum Johannem de Praga Episcopum*

primo *Litomisslensem*, tum *Olomucensem* et S. R. E. Cardinalem *Virum* de utraque Rep. optime meritum, cujus laudes congestae sunt in *Jos. Wratisl. Monsei Infulis doctis Moraviae* p. 52. cuique *ibid.* p. 60. alia item Scripta, videlicet *Linea Salutis* et *Exemplar Salutis* tribuuntur. *Horas* porro nostras, quas ille inter annum 1423. et emortuaem 1430. componere debuit, in *Codice* excipiunt *Preces ad Deum*, *Divosque* variis opportunitatibus adcommodatae, quas inter *Oratio* inscripta: *Das nachgeschriben gepett solt du sprechen deinem zwelfpoten.* Q. d. *Isthae* Formula deprecabere *Apostolum tuum*. Unde videas, viguisse quondam opinionem, singulis *Hominibus* praestitutum esse *Apostolum*, qui in extremo *judicio Christi* vicarius de iis sententiam ferret.

DCCCCXLVII.

Codex chartaceus germ. Sec. 824 XV. Folior. 72. 8. Collectio est *Precum* et *Affectuum* piorum ad *Deum* et *Deiparam* variis opportunitatibus inservientium, puta sub *Missae Sacrificio*, tempore *Infirmatum &c.* Praecedunt *Monita XVIII.* inscripta: *Hailsame lebrn so Ain Mensch in Andacht wachsen oder zuenemmen will.* *Oratio* quaedam afflictionum tempore dicenda dicitur: *genumen vss dem Landsperger*; is est *Joh. Justus Bojus Landsbergensis Carthusianus* celeberrimus interioris vitae magister, de cujus vita et scriptis

3183

C O D I C E S

3184

ptis agit *Petrejus* in *Bibl. Ord.* p. 195.

DCCCCXLVIII.

- 864 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 190. 12. caractere minuto exaratus, minio distinctus, et 4. iconibus rudi opere xylographico e Domini Passione depromptis ornatus, Precatorius est, praecedente *Calendario*, in quo *Epiphania der oberist Tag*, *B. V. Annuntiatio Vnser Frawen Beceleib*, *Affumtio vero Vnser Frawen Burczweib* dicitur. Continet vero *Psalms VII. de Poenitentia dictos cum Litanis* OO. SS. in quibus cum nominatim invocetur *S. Pöllt*, *Preces* has in *D. Hippolyti Oppido Austr.* infer. conscriptas esse, credibile fit; id quod et dialectus suadet multa propria subpeditans. Sequuntur *Preces de Passione Domini*, *Dedicatione Templi*, *Formula Confessionis Peccatorum*, *Horae et Missa de B. V. Maria*, aliaque ad eam directa Pietatis simplicissimae Exercitia, quibus plerumque praemittitur *Methodus* quaedam aut *Commendatio* intuitis traditionibus fulta.

DCCCCXLIX.

- 497 Codex membraneus germ. Sec. XVI. Folior. 100. 4. nitidissime exaratus, Literis initiorum auro, coloribusque conspicuus, titulisque omnibus miniatis ἐγυδιωκτιον habuit *Albertum Brandeburgicum* Card. Electorem et *Archiep. Mo-*

guntinum, ut ad calcem docetur sequentibus: *Got dem almechtigen zu lob vnd milter betrachtung des bitteren leydens Jesu christi vnser seligmachers. Durch den Hochwürdigsten in got vater Herrn Albrechten Cardinaln Legatum natum Erzbischoffen zu Magdeburg vnd Meyntz &c. Bestalt vnd geschrieben In der Ertzbischofflichen stad Hall Anno domini. 1537. Geendet am 25 tag Septembris. Complectitur vero pias in Vitam et Passionem Christi Meditationes feu Precationes potius hoc rubro: Von dem gantzen Leben des Milters Gottes vnd der Menschen Jesu christi. Zum ersten, eyn Dancksagung vnd gebete, gott zu loben, vnd leyttende zu andacht. Initium: Got meyn herr, ich beger dich zu loben, wan dich zu loben bekenne ich mich beschaffen seyn. &c. Sequitur Meditatio de creatione et lapsu primi hominis, de ejus revocatione per Verbi incarnationem, de Partu Virginis &c. Ultima Precatio est de quinque Plagis Servatoris, in qua Autor, quisquis is fuerit, subfragiis DD. Hieronymi et Catharinae se commendat. Unde conjectare licet, illum olim peregrinationem ad Loca sacra Palaestinae suscepisse, visitasseque Hieronymi in Bethelem et Catharinae in Monte Sinai memorias. Id quod factum constat a Bernardo de Breidenbach Ecclesiae Mogunt. Camerario et Decano a. 1483. cujus Itinerarium pluribus linguis Sec. etiamnum XV. vulgatum fuisse norunt Eruditi. Sed haec coniectura. Quod porro*